714 147

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 29 Decembris 1718.

M. JACOBO-ANTONIO MILLET, Doctore Medico, Præside.

An χύλωσις Tritûs simul & fermentationis opus?

I.

CHYLUS succus est ex alimentis paratus, à quo corpus humanum fulcitur; à quo sanguis perennitatem, partes omnes incrementum mutuantur, durationem & robur. Succus nulli æquiparandus nec analogus; purus, limpidus simul & unctuosus; flecti pronus; liquidorum in corpore fons & origo; mille induens formas; secretionum omnium insigne promptuarium; salivæ, succi gastrici, lymphæ intestinalis, pancreaticæ, bilis & cæterorum liquorum larga materies; inexhaustus prospicit omnibus, licet perspiratione insensili uberrimam sui partem indesinenter exhalet. Admirabilis Prothei natalitia inquiris? non in unâ parte, sed in pluribus quærenda: sic in ore, æsophago, ventriculo, intestinis elaboratur, conficitur, absolvitur. Hæc alimentorum metamorphosis haud uni & soli primarum viarum apparatui debetur & motui; perspexeris variorum succorum ex illis secretorum naturam & usum? genuinum operationis modum assecutus es.

II.

DUO concurrunt in tanto opere perficiendo, solida nempè & liquida. Mireris solidorum fabricam stupendo elaboratam artificio? os perlustres? dentes in limine figurâ & robore diversos! parietes internos buccarum, linguamque ipsam, ope musculorum ex quibus constat, recolligentem quæ exciderent conspice! canalem œsophagi sequere! illius membranas numera, fibrarum ordines evolve! ventriculi pariter figuram, situm introspicis? Quot membranis contexitur? quot fibris omnis generis variè decussatis ab orificio superiori ad inferius atque ab hoc ad illud contrariâ viâ recurrentibus comparatur? tendinosum quid cuilibet orificio inesse reperies ex coalitis eò loci fibris,

715

nonnullisque instar circuli hunc ambientibus. Ventriculi fundum observa rugasque ejus, & duo orificia lineis parallelis à se invicem posita ? Dein dextrum flexuoso ductu in canales oblongos & tortuosos dehiscens cognomine intestinorum ? hîc quæ dicuntur gracilia *serpentino* tramite in medio abdominis congregantur, dum alia quæ crassa, priora ambiunt & quasi coronant : horum omnium fibras longitudinales circularibus per intervalla sectas perpende ? interiora canalis intestinalis scrutare ? quot foraminibus pertusa est nervea tunica ? quot opponuntur spicula parallela in cavitatibus quæ extremitates spongiosæ nervorum haud immeritò conjiciuntur sub titulo crustæ villosæ intestinorum ! quot inter villos hiant ostiola, patentiora quædam ; mille & mille, oculorum aciem fugientia : innumera chylum absorbentia, lactea dicta ; penè infinita lympham in cavitatem exonerantia, glandulosæ texturæ, vel si mavis, continuata ab extremitate arteriarum conglobatâ serie vascula excretiora ! habes nunc structuram partis ; quid valeant succi allabentes paucis tene. Salivam, lympham œsophagi, succum gastricum, intestinalem lympham, quin & pancreaticam ejusdem naturæ, ordinis & prosapiæ ne dubites asserere : acidum plus minusve evolutum hos redolere liquores puta ; nec falleris horum conditione & usu. Bilem unicè amaram alkali satis acris consortio gaudere & frui sapore exploratur.

III.

EX istis intelligitur quid tritus cum fermentatione valeat in mutatione alimentorum. Operationes dixeris varias, attamen in unum conspirant ; neque hæc officit alteri. Partium descriptarum situs, ordo, connexio hunc innuunt motum quo assumpta premuntur, dividuntur, conteruntur, & à se invicem mixti particulæ dissociantur : sic subactæ, salium aculeis aditus præbent faciliores. Natura nihil molitur ineptè. Dentium summa utilitas, quatiunt duriora, divellunt, discerpunt. œsophagus ut manus, premit & promovet quæ committuntur undulatim, non tumultuosè. Ventriculus delapsa volvit, revolvit, amplectitur, comprimit ; sicque partes integrantes nudo caractere præparat ac subjicit. Dein intestinalis tubulus lapsa è ventriculo per mille ambages & recessus deducit & quasi verberibus elutrit in canales hiantes, partes chyli numeris omnibus absoluti : nec minùs fermentationem sapiunt qui in cavitatibus primarum viarum perpetuò scaturiunt succi. Jam saliva massam alimentorum imbuendo turgescentiam quandam in bolis mollioribus excitat. Deglutita materies per canalem œsophagi defertur, ubi infiniti lymphæ rivuli quaquaversùm fundentes, uberiorem sui proventum largiuntur ad alimentorum penetrationem, partium variarum separationem & solutionem, unde gradatim & per vices attingunt ventriculum priùs tritæ, irroratæ & fermento imbutæ. In illo succus gastricus, ope motûs membranarum visceris, partes denudatas & integrantes adoritur, penetrat, dividit ; partes essentiales extricat. Tunc chylus dictus, cum residuo mixtus, similis cremoris hordei in intestinum duodenum propellitur ; ubi à bile & succo pancreatico iterùm atque de novo fermentatur, diluitur & per cætera

è gracilibus inteſtina delabens & ab uberiore lymphâ depuratus, lacteus cogitur intrare vaſa hinc inde aperta per modum ſecretionis.

I V.

NEC repugnat motui partium, quam intelligimus fermentatio; & vice versâ: exulent fermentationum vulgarium analogiſmi. Nihil eſt in corpore quòd operationes chymicas odorari velit, vel tantiſper imitari: extorquet vi & tumultu è mixtis, quod ſupponit artifex: perfectiùs & placidiùs huic primæ vitæ functioni invigilat natura: non menſtruorum vario delectu, non magnâ potentiâ in partes vel reſinoſas, vel pinguedinoſas, vel fibroſas, vel alias cujuſcumque ſint generis inſurgit. Habet de divite fundo enatam lympham, ubique ſui ſimilem, maximæ energiæ intentionibus quibuſlibet providentem. Quod partium motu diſpoſitum fuerat, appropriata lympha hujùs ſubit intima, & ſolutâ particularum omnium compage, principia ſincera eliduntur, ſeu partes eſſentiales, ſine conflictu. Motus ille inteſtinus, quem vocant fermentationis, tritum non deſtruit. Ambo mutationem alimentorum proſequuntur & moliuntur; ſolida motu ſuo præparant, liquida complent, hæc inſenſibiliter. Pro diverſâ utrorumque texturâ diverſimodè tractant alimenta: prima conterendo, altera imbuendo & ſolvendo. Ut cuneus, lympha in poros introducitur; ſic, ut malleus, motus partium inſervit operi; utrumque conficit digeſtionis opus. Ita lympha ſine motu partium jaceret iners; ſic tritus abſque menſtrui virtute incaſsùm adhiberetur. Menſtruum dico lympham omnem primarum viarum, ſalibus ſat idoneis præditam, ut partes alimentorum eſſentiales penetret. Inſenſilis eſt illa fermentatio, naturalis quippè, mitis, blanda & ſucco lacteo, chylo dicto, conficiendo accommodata.

V.

IGITUR principium nutritivum in homine pendet à tritu & fermentatione. Chylus eſt, qui per iteratam ſubactionem purus, dulcis & inſipidus ſanguini redditur, uſui œconomiæ deſtinatus. Fruſtrà huc-uſque cauſam digeſtionis prætexerunt Medici: longè à metâ diſtantes adhuc videas. Williſii, Helmontii & aliorum hujus doctrinæ virorum opinio nimiùm Chymicorum labores redolet: velut in vaſe æneo decertabant in ventriculo ſalia diverſi generis & in ſeſe graviter inſurgebant, confusè materiem digeſtionis agitando. Hoc à naturæ ſimplicitate & mechaniſmo alienum cenſetur. Quorsùm tot partium differentiæ? tot fibræ contractiles & elaſticæ quibus decorantur? tot membranæ queis adornantur, compinguntur? Quis ſanæ mentis reputet hæc omnia comparata fuiſſe, inſtituta, ut campus eligeretur, ubi præliarentur fermentationis pugiles? Moventur certè ſolida ut alimenta conterantur, & his in chylum converſis nutritio abſolvatur. Nec qui tritûs ſolâ potentiâ rem conficiunt, aut confici volunt geometrico more, de naturæ induſtriâ ſtrictiùs opinantur: cui bono enormis lymphæ primarum viarum proventus, ſi unicè ad partium tritarum irrigationem, lotionemque ſucci ſecernerentur? altiùs ſapit mater provida: nec niſi quodam ſale eſſentiali imprægnatos conſtituit, quo allaborarent ſimul cum motu partium in negotio digeſtionis ali-

717

mentorum conficiendo. Sint ergo tritus & fermentatio æterno fœdere juncta ; & in œconomiæ animalis operationibus exequendis, præsertim in chylo elaborando, & perficiendo tantùm valeant, quantùm fermentatio chymicorum & tritus seorsim à sectatoribus collaudata fuêre : sic amabili concordiæ & veritatis connubio maneat fixa, rata conclusio.

Ergo χύλωσις tritûs simul & fermentationis opus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joan. Bapt. Thomas Martinenq.	*M. Thomas - Bernardus Bertrand.*	*M. Joannes Gelly.*
M. Joan. Henricus Imbert, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Ægidius Adam.*	*M. Claudius Burlet, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Hispaniarum Regis olim Archiater.*
M. Franciscus Pousse, Scholarum Professor.	*M. Camillus Falconet, Regiæ utriusque Aulæ Equestris Medicus ordinarius.*	*M. Alexander - Petrus Mattot.*

Proponebat Parisiis GUILLELMUS DE MAGNY, Parisinus Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1718, à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.